BASILIDIS PHILOSOPHI GNOSTICI

SENTENTIAE

Kata pason airescon

EX HIPPOLYTI LIBRO ΚΑΤΑ ΠΑΣΩΝ ΑΙΡΕΣΕΩΝ
NUPER REPERTO ILLUSTRATAE.

COMMENTATIO HISTORICA DOGMATICA

QUA ORATIONEM INAUGURALEM

DIE APRIL. XVI. HOR. XII. MDCCCLII

IN AULA ACADEMICA A SE HABENDAM INDICIT

AD EAMQUE AUDIENDAM OBSERVANTISSIME

INVITAT

J. L. JACOBI,

THEOLOG. DR. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR. DESIGNAT. IN ACADEMIA QUAE
EST REGIOMONTII ALBERTINA.

VIRO SUMME VENERABILI,

CAROLO IMMANUELI NITZSCHIO,

CLARISSIMO THEOLOGIAE DECORI

HUNCCE LIBELLUM

DEDICAT

AUCTOR.

Nuper Eman. Miller V. D. libro, cui titulus inscriptus est: „Φιλοσοφούμενα ἢ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχος“, e codice Parisino primum edito de litteris optime meritus est. In hoc tamen a vero aberrasse videtur editor diligentissimus, quod Origenis esse putat, quum neque ingenii acumine neque cogitandi vel dicendi ratione auctor cum Origene sit comparandus. Nos quidem certissimis argumentis probare et possumus et probavimus[1]) non ab Origene conscriptum, nec multo infirmioribus, ab Hippolyto potissimum ex Origenis aequalibus compositum esse. Sed quoquo modo haec se habent, plenum profecto et graeca et ecclesiastica eruditione opus esse, omnibus, ut speramus, consentientibus, profitemur, unde studio cum veteris philosophiae religionumque tum rerum antiquioris ecclesiae nova lux eademque vix sperata oboriatur. Nam quae in ecclesia Romana,

---

1) Deutsche Zeitschrift für christliche Wissenschaft und christliches Leben, herausgegeben von Müller, Neander und Nitzsch. 1851. No. 25 seq. Egregie confirmat nostram de origine libri sententiam, quod Duncker V. D. idem de re sentit, sublata quadam difficultate, quae nos impediverat; recte enim suspicatur, hippolytianum, quem Photius novit, libellum a nostro auctore in operis prooemio indicari et ipsius et antea conscriptum esse. Vid. Göttinger gelehrte Anzeigen. 1851.

omnium celeberrima, ineunte tertio saeculo gesta sint, adhuc usque maximam partem ignota, auctor suis oculis visa consignavit. Praeterea de diversis eorum partibus, qui christianum nomen prae se ferebant, earumque de placitis non sine ira quidem et studio, peritissimus tamen disserit. Duae sunt sectarum quasi familiae, quarum prae ceteris dogmata accuratiori diligentia exponit, Monarchianorum et Gnosticorum. E quibus quum de Basilide, Gnosticorum haud infimo, tot et tam nova prodat, ut de plurimis viri sententiis prorsus aliter sit statuendum, propositum est nobis, quae Irenaeus, Clemens Alexandrinus, alii veterum et quae recentiores hos secuti enarraverint, cum iis conferre, quae Hippolytus referat. Quo consilio opus nostrum arctis finibus clausum esse videtur, quum de unius tantum viri gnostici sententiis agatur. Attamen tam arduum est, ut dubitem, an vires sufficiant. Primum enim unius vitiosissimi codicis auxilio styli errores emendandi sunt, tales quidem, ut saepissime certa et fixa restitui non possint, sed probabilia conjectura sequenda sint. Nec minor est difficultas, quod Basilidis placita, ingeniosi certe et gravis viri, et re et verbis perobscura sunt. Dein, quum auctores diversas saepe partes tueantur, iterum iterumque sententiae sententiis, argumenta argumentis sunt comparanda. Dabimus igitur, quae attingere licuerit: dicant melius, qui propius ad verum sese accessisse arbitrentur. Ceterum ipsius auctoris verba graeca largiter apposuisse non pigebit, quum haud ita multi ejus librum habeant, eoque facilius perspiciatur, quae emendatione eguerint et quo jure facta sit.

Basilidem in Aegypto vixisse et ex ceteris auctoribus satis constat[1]) et a nostro confirmatur[2]). Professus est ille philosophus, summam rerum divinarum scientiam Matthia vel, quod praeferendum fortasse est, Matthaeo apostolo duce se nactum esse. Quae ex hoc aliisque doctoribus sese accepisse jactabat, Ἐξηγητικῶν viginti quatuor libris collegit illustravitque, quorum Hippolytus sine dubio epitomen factam exhibet. Hoc in opere Basilidem videmus prae ceteris id egisse, ut statueret, quae esset natura dei. Cujus magnitudinem omnia superantem ita describit, ut nihil magis vereatur, quam, ne cum ulla re commisceatur, quae ex terra nata sit, vel quae sensibus percipiatur. Tantopere enim summam illam et singularem naturam a rebus mundanis segregatam esse opinatur, ut omnino humana lingua, quae qualisve sit, apte et digne exprimi non posse videatur. Quod Philo Hebraeus et cum eo multi Platonem secuti decreverunt, dici quidem posse, deus quid non sit, quid sit, non posse, Basilides consentiens deum Ἀκατονόμαστον sive Ἄῤῥητον appellat. Quin, si Hippolyto credas, vel his nominibus, quibus deus quasi appellando siletur, aequo plus de eo se dixisse judicavit. Itaque illis philosophis id solum de deo affirmare ausis, quod Graeci „οὐσίαν" vel „τὸ ὄν" appellant, Basilides, ne hoc quidem admisso, „οὐκ ὄντα" nominavit, quoniam *esse* non nisi de rebus creatis dicendum putavit. Contra, mundo in innumerabiles partes diviso, non satis no-

1) e. g. Iren. haer. I, 24. 1.

2) Hippol. p. 344.

minum inveniri, quibus ejus res exprimantur, atque hac in re vel maximum discrimen inter 'Ακατονόμαστον et mundum interpositum conspici. Sed quamvis magnum et sublimem Basilides deum esse praedicet, sunt tamen ejus apud Hippolytum verba, quibus deum primum quidem omnium rerum extitisse, at certe aliquando ortum esse fabulari videtur. Narrat enim ab initio prorsus nihil fuisse, ut verborum numero tale quid significantium vix sibi satisfaciat. Sed quum haec sententia ineptior sit, quam quae in Basilidis mentem intrare potuisse videatur, id potius eum dicere voluisse opinamur, rerum mundi omnino nullam fuisse, antequam deus operari coepisset. Neque quidquam aliud in animo habuisse hominem alias haud insulsum, sententias tamen non sine verborum tumore, ut Gnosticum, elocutum, jam inde elucet, quod in iis, quae continuo in libro sequuntur, tum deum creare incepisse disserit, quum nihil, ne deus quidem, esset. Quibus perpensis negandum non erit, eundem docuisse deum ab infinito tempore aeternum fuisse, inita totius ecclesiae sententia, cum qua credidit etiam deum aliquando apud se instituisse creare mundum. Quo in consilio nihil humanae mentis vel voluntate vel cupiditate vel quovis alio motu agitatae simile infuisse putat; utendum tamen sibi ejusmodi vocabulis, quum aliter, quae sentiat, exprimere non possit [1]). Jam, quod certissime constare videbatur,

1) Hippolyt. pag. 230. 'Ην, φησίν, ὅτε ἦν οὐδέν, ἀλλ' οὐδὲ τὸ οὐδὲν ἦν τι τῶν ὄντων, ἀλλὰ ψιλῶς καὶ ἀνυπονοήτως δίχα παντὸς σοφίσματος ἦν ὅλως οὐδὲ ἕν. "Οταν δὲ λέγῃ (lege λέγω), φησί, τὸ ἦν, οὐχ ὅτι ἦν λέγω, ἀλλ' ἵνα σημάνω τοῦτο ὅπερ βούλομαι

summos spiritus, sive genios, quos Aeones vocare solent philosophi gnostici, physica ratione Basilidem a deo, omnium patre, deduxisse, in hoc nunc quidem apparet doctos errasse. Ille enim quum omnino, tum in hac re libris et veteris testamenti et apostolorum ducibus usus, omni similitudine naturalis procreationis acri studio evitata, deo loquente de nihilo rerum principia facta esse docuit. Nam verbis Moysis et Joannis, cujus evangelii vetustissimus et luculentus nunc primum prodiit testis et vindex, ingeniose conjunctis: Verbo, inquit, quod deus locutus est, „fiat lux", semen mundi factum est; eandemque veram esse lucem illustrantem omnes homines in istum mundum venientes [1]). Licuit igitur ipsum dicere, quae aliter difficilia sunt intellectu, a deo, qui non sit, ex eo, quod non sit, creatum esse mundum, qui non sit [2]). Neque enim aut coelestes illae regiones, quas „Pleroma" Gnostici vocare solent, aut iste infimus mundus statim in partes digesta suisque vicibus ordinata

---

δεῖξαι. Λέγω, φησίν, ὅτι ἦν ὅλως οὐδέν. — cf. p. 231. Ἐπεὶ οὐδὲν (scil. ἦν), οὐχ ὕλη, οὐκ οὐσία, οὐκ ἀνούσιον, οὐχ ἁπλοῦν, οὐκ ἀσύνθετον (Miller rectius οὐ συνθετόν), οὐκ ἀνόητον, οὐκ ἀναίσθητον (legas fortasse οὐ νοητόν, οὐκ αἰσθητόν), οὐκ ἄνθρωπος, οὐκ ἄγγελος, οὐ θεός, οὐδὲ ὅλως τι τῶν ὀνομαζομένων ἢ δι' αἰσθήσεως λαμβανομένων ἢ νοητῶν πραγμάτων, ἀλλ' οὕτω καὶ ἔτι λεπτομερῶς πάντων ἁπλῶς περιγεγραμμένων, οὐκ ὢν θεός, ὃν Ἀριστοτέλης καλεῖ νόησιν νοήσεως, οὗτοι δὲ οὐκ ὄντα, ἀνοήτως, ἀναισθήτως, ἀβούλως, ἀπροαιρέτως, ἀπαθῶς, ἀνεπιθυμήτως κόσμον ἠθέλησε ποιῆσαι. Τὸ δὲ ἠθέλησε λέγω, φησί, σημασίας χάριν, ἀθελήτως καὶ ἀνοήτως καὶ ἀναισθήτως.

1) p. 232.

2) p. 320. — Λέγω εἶναι θεὸν οὐκ ὄντα, πεποιημένον κόσμον ἐξ οὐκ ὄντων, οὐκ ὄντα οὐκ ὤν.

sunt, sed primum deus universi mundi tantum semen projecit[1]), unde mundus in partes distributus formisque variatus, quem Graeci „κόσμον“ appellant, fieret. Ingens enim illa et Chaus modo incondita moles vi quadam genitali insita singulas res partesque lege divina paullatim oriundas procreavit[2]). Inter quas Aeonum ordines Irenaeo[3]) et Epiphanio[4]) auctoribus ea ratione natos esse adhuc credebatur, ut, qui gradu inferiores essent, ex altioribus magisque divinis exorirentur; at aliter res se habere videtur. Illa enim magna moles, ex qua omnia pullulant, infimo loco infinitum quantum remoto a deo deposita est. Tanta vero est divinae vis pulchritudinis, ut omnia ad se alliciat et praeclarissimae quaeque naturae summo eo perveniendi ardeant desiderio[5]). Itaque, quae virtute insignes sint, primae ex imo sublatae ad patrem advolant, sequuntur deteriores. Ceterum Hippolytus cum reliquis concinit auctoribus, qui Basilidem et innumerabilem fere

---

1) p. 231. κόσμον δὲ οὐ τὸν κατὰ πλάτος καὶ διαίρεσιν γεγενημένον ὕστερον καὶ διεστῶτα, ἀλλὰ γὰρ σπέρμα κόσμου. — οὐκ ὢν θεὸς ἐποίησε κόσμον οὐκ ὢν (leg. ὄντα) ἐξ οὐκ ὄντων, καταβαλλόμενος καὶ ὑποστήσας σπέρματι ἓν (leg. σπέρμα) ἔχον πᾶσαν ἐν ἑαυτῷ τὴν τοῦ κόσμου πανσπερμίαν. Hanc seminis mundani rationem Stoicorum λογῷ σπερματικῷ similem esse bene Duncker l. l. animadvertit. Cf. Ritter, Gesch. d. Philosoph. III. p. 584.

2) p. 233. — ὅσα τῷ μέλλοντι κόσμῳ γενέσθαι ἀπὸ τοῦ σπέρματος ἔμελλεν ἁρμόζειν ἀναγκαίοις (leg. ἀναγκαίως) καιροῖς ἰδίους (leg. ἰδίοις) κατὰ προςθήκην αὐξανομένου.

3) l. I, 24.

4) haer. 24, 1.

5) p. 232.

multitudinem Aeonum docuisse et, astrologiae legibus adhibitis, in ordines redegisse narrant. Novit idem procul dubio septemplicem illum summorum Aeonum chorum, qui proximus abest a deo, quum Ogdoadem eorum instar inferiori loco exstitisse doceat [1]). Nomina quidem ab Irenaeo et Clemente tradita reticet; satis tamen explicatis et indole et genere et nobilitatis gradibus. Affinitatem quippe divinam indicans graeco vocabulo „υἱότητα“ dicit, quod quum latina lingua uno verbo exprimi non possit, per genus filiorum dei liceat reddi. Quod quidem genus dividitur in tres partes, quarum una omni sorde purissima, ceteris praestantior, clarior, quum primum communis ille rerum fons apertus est, incredibili velocitate usa, ὡςεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα, in inenarrabilis dei inenarrabilem locum ascendit [2]). Prodiit altera pars hujus simillima, infirmior tamen et tardior [3]); simulque cum hac alia natura, quam spiritum sanctum vocat, quae, quamquam neutrius vires suffecerunt, ut sola aut expediretur aut assurgeret, altera tamen alteram juvante, praecedentem partem sequi potuerunt. Itaque quae dicitur secunda υἱότης cum spiritu sancto sese arctissime conjunxit, sic fere, uti Platon animam amore rerum divinarum quasi pennis alisque volucrem fieri,

---

1) p. 236. Αὕτη ἐστὶν ἡ κατ' αὐτοῦ (Miller recte αὐτὸν) ὀγδοὰς λεγομένη, ὅπου ἐστὶν ὁ μέγας ἄρχων καθήμενος.

2) p. 233.

3) p. 233. ἡ δὲ παχυμερεστέρα ἔτι μένουσα ἐν τῷ σπέρματι, μιμητική τις οὖσα, ἀναδραμεῖν μὲν οὐκ ἠδυνήθη, πολὺ γὰρ ἐνδεεστέρα τῆς λεπτομερείας, ἧς εἶχεν ἡ δι' αὐτῆς (l. πρώτη s. πρὸ αὐτῆς) υἱότης, ἀναδραμοῦσα ἀπελείπετο.

pulcherrimo mytho docet [1]). At divinior natura sic elata quum indolem suam, qualis esset, cognovisset, in regionem supremam, coelesti claritate splendidissimam, perrexit aeterna beatitate donanda [2]). Qua ab conditione spiritus sanctus alienus, quum summum vitae statum tolerare non posset, sicuti quaedam animantia tenuiores in montium cacuminibus auras ferre nequeunt [3]), locum capessivit medium intra pleroma mundumque situm [4]). Neque adeo multum differt aut re aut loco a Sophia Achamoth, cujus apud Valentinum gravissimum est momentum. Idem quamquam relictus est sociata olim υἱότητος natura, quam veluti anima mentem circumdederat, tamen mirum quantum superans mundanum genus animale, quod Gnostici „ψυχικόν" vocant, non so-

1) l. l. 'Επτέρωσεν οὖν αὐτὴν (l. potius αὐτὴν) ἡ υἱότης ἡ παχυμερεστέρα τοιούτῳ τινὶ πτερῷ, ὁποίῳ διδάσκαλος ὁ Πλάτων 'Αριστοτέλους ἐν Φαίδωνι τὴν ψυχὴν πτεροῖ, καὶ καλεῖ τὸ τοιοῦτο Βασιλείδης οὐ πτερόν, ἀλλὰ Πνεῦμα ἅγιον, ὃ εὐεργετεῖ ἡ υἱότης ἐνδυσαμένη καὶ εὐεργετεῖται.

2) p. 234. 'Αναφερομένη γὰρ ἀπὸ (l. potius ὑπὸ) τοῦ πνεύματος ἡ υἱότης ὡς ὑπὸ πτεροῦ, ἀναφέρει τὸ πτερόν, τούτέστι τὸ πνεῦμα, καὶ πλησίον γενομένη τῆς λεπτομεροῦς υἱότητος καὶ τοῦ θεοῦ τοῦ οἰκοῦντος (leg. οὐκ ὄντος) καὶ δημιουργήσαντος ἐξ οὐκ ὄντων, ἔχειν μὲν αὐτὸ μετ' αὐτῆς οὐκ ἠδύνατο, ἦν γὰρ οὐχ ὁμοούσιον —

3) l. l. Οὐσίας δὲ (sic Miller; codex manusc. Ουσ exhibet; nos emendamus οὐδὲ, quod verbis praecedentibus annectas) φύσιν εἶχε μετὰ τῆς υἱότητος, ἀλλὰ ὥσπερ ἐστὶ παρὰ φύσιν καὶ ὀλέθριος τοῖς ἰχθῦσιν ἀὴρ καθαρὸς καὶ ξηρός, οὕτω τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἦν παρὰ φύσιν ἐκεῖνο τὸ ἄῤῥητον (l. fort. ἀῤῥήτων) ἀῤῥητότερον καὶ πάντων ἀνώτερον ὀνομάτων τοῦ οὐκ ὄντος ὁμοῦ θεοῦ χωρίον καὶ τῆς υἱότητος.

4) p. 235. Τὸ δὲ μεταξὺ τοῦ κόσμου καὶ τῶν ὑπερκοσμίων μεθόριον πνεῦμα.

lum spirituale quid obtinet, sed servat etiam quasi semel infectus divinitatis odorem[1]). Quum omnino, tum in hac re praesertim Basilidem animadvertas res, expositis discriminibus, rursus componere similitudine ostensa, ut in universo rerum ordine, via nusquam intercisa, ex inferiori quoque gradu in superiorem transitus fiat. Maximam ponit differentiam inter mundum et eas, quas descripsimus, partes, supra istum mundum constitutas[2]), secretas ab hoc et munitas grandi quodam et firmo tegmine (στερέωμα), quod nemo, nisi deo jubente, transgrediatur. Quam quidem differentiam accuratius sciscitaturus, pervenio nunc ad difficillimam de Basilide quaestionem, an naturam malam esse praeter deum aeternam qualemque putaverit. Recentiores si spectas, nemo est qui neget, δυαρχίαν eum docuisse; plurimi ducibus Neandro et Baurio V. V. Cl. Zoroastri doctrinam de Arimanio rege materiae malorumque principe imitatum fuisse censent; uno fere Gieselero excepto, qui basilidianam materiam platonicae similem fuisse docere studet[3]). Ad cujus sententiam, etiamsi illorum

1) p. 234. κατέλιπεν οὖν αὐτὸ . . . . οὐ παντάπασιν ἔρημον, οὐδὲ ἀπηλλαγμένον τῆς υἱότητος, ἀλλὰ γὰρ ὥσπερ εἰς ἄγγος ἐμβληθὲν μύρον εὐωδέστατον, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα ἐπιμελῶς ἐκκενωθείη, ὅμως ὀσμή τις ἔτι μένει τοῦ μύρου καὶ καταλείπεται, κἂν ᾖ κεχωρισμένον τοῦ ἀγγείου, καὶ μύρου ὀσμὴν (sc. ἔχει) τὸ ἀγγεῖον, εἰ καὶ μὴ μύρον, οὕτως τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον μεμένηκε τῆς υἱότητος ἄμοιρον καὶ ἀπηλλαγμένον, ἔχει δὲ ἐν ἑαυτῷ μύρου παραπλησίως τὴν δύναμιν ὀσμήν (legendum videtur ὀσμῆς).

2) p. 235. Διῄρηται γὰρ ὑπὸ Βασιλείδου τὰ ὄντα εἰς δύο τὰς προςεχεῖς καὶ πρώτας διαιρέσεις, καὶ καλεῖται κατ' αὐτὸν τὸ μέν τι κόσμος, τὸ δέ τι ὑπερκόσμια.

3) Hall. Allg. Litteraturzeitung. 1823. p. 835.

adhuc usque nobismet ipsis maxime probanda esse visa est, tamen, si Hippolytum audiverimus, propius jam accedendum erit. Primum igitur videamus, quidnam e novi auctoris libro de basilidiana vel monarchia vel dyarchia existat, deinde comparemus cum iis, quae reliqui referant, unde recentiores historici argumenta petere solent, quibus Basilidem persicae theosophiae asseclam fuisse demonstrent. Ceterum in iis, quae Hippolytus prodit, discernendum erit Basilidis sententia et Hippolyti enarratio. Nam Hippolytus ipse dubitandum vix est, quin dyarchiam in Basilidis placitis viderit nullam. Etenim quum ante conditum mundum praeter deum prorsus nihil fuisse, deinde e semine a summo deo creato, quidquid in mundo et super mundum sit, profectum esse enarret, luce clarior est ejus opinio, Basilidem in eo dogmate ab ecclesia non discrepare, quod universas res ex unius dei opere originem traxisse censeat. At vero suspicionem movet, aliter Basilidem docuisse, aliter ipsum intellexisse, quum se quasi nescio dyarchiae vestigia in ipsius verbis occurrant. Quid enim? Nonne ipse de summo agit discrimine inter mundum intercedente et ea, quae super mundum divina sunt? Nonne ipse de rerum commistione quadam et perturbatione memorat[1]), qua contrarias naturas principales indicare videtur? Quin immo Hippolytus non solum de incondita materia, quam ἀμορφίας vocabulo appellat, refert, sed etiam aeternam esse accuratius sciscitantibus confiteri videtur. Primordia enim rerum ex-

1) p. 244. 243.

positurus, quo verbo semen mundi a deo factum fuerit, eodem narrat exortam esse lucem [1]). Unde quis verba libri Geneseos praecedentia intuitus facile judicaverit, tenebrosum illud Chaos ante semen mundi sive lucem fuisse, et a deo inenarrabili non factum esse, sed repertum. Jam periculum faciamus Basilidis sententiae ex his difficultatibus expediendae. Cunctis, quae Hippolytus de hac re tradidit, perpensis, equidem non dubitaverim, quin Basilides interdum, sublata dyarchia, semen rerum cum ἀμορφία aequaverit; quippe qui de mole informi acervi seminalis [2]) disserat. Ad quam sententiam obtinendam etiam id me adducit, quod Basilides mundi spatia dividit in complura intervalla, quorum ultimos terram fines censet tueri cum iis, quae in ea sint. Esse vero hunc ultimum gradum Chaus locum docet [3]), ubi animae et spiritus et quidquid nascatur contineantur, antequam certa forma quasi coarctata et confirmata fuerint [4]). Quae quum ita sint, Basilides, dyarchia et constituta et negata, ipse quodammodo causa Hippolyto exstitit erroris. Simile quid illi philosopho de isto dogmate disserenti accidisse nobis videtur atque Valen-

1) p. 232. Πόθεν, φησί, γέγονε τὸ φῶς; ἐξ οὐδενός· οὐ γὰρ γέγραπται, φησί, πόθεν, ἀλλ' αὐτὸ μόνον ἐκ τῆς φωνῆς τοῦ λέγοντος, ὁ δὲ λέγων, φησίν, οὐκ ἦν, οὐδὲ τὸ γενόμενον ἦν. Γέγονε, φησίν, ἐξ οὐκ ὄντων τὸ σπέρμα τοῦ κόσμου, ὁ λόγος ὁ λεχθείς· γενηθήτω φῶς, καὶ τοῦτο, φησίν, ἐστὶ τὸ λεγόμενον ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις· „Ἦν τὸ φῶς“ etc. Jo. Ev. 1, 9.

2) p. 239. ἡ ἀμορφία τοῦ σωροῦ scil. τῆς πανσπερμίας.

3) p. 243. τοῦτο τὸ διάστημα τὸ καθ' ἡμᾶς, ὅπου ἐστὶν ἡ ἀμορφία.

4) p. 241.

tinianis, malum tum e pleromate, Sophia peccante, natum esse monstrantibus, tum κένωμα sive aeternum obscurumque et materiae et mali regnum constituentibus. Nam et Basilides Chaos, quoad πανσπερμία est, divini aliquid esse judicat, quoad ἀμορφία, deo contrarium existimat. Quorum Gnosticorum consensus clarius etiam inde elucet, quod Valentinus partum a Sophia editum informem, unde mundum formatum vult, eodem nomine ἀμορφίαν dicit [1]). Jam quod Valentinum satis constat Platonis sese discipulum saepe praestare, id ne de Basilide quidem amplius erit negandum, quippe qui hyles quidem vocabulum non exhibeat, ἀμορφίαν tamen ad corporalia proprie et maxime referat [2]). Fortasse eidem platonicum illud μὴ ὄν occasionem dedit nominis τοῦ οὐκ ὄντος ad ἀμορφίαν applicati. Certe materiam et negativi et infiniti quid esse Platonici acriter defendunt, quum jam Plato naturam dei certis finibus circumscripti et circumscribentis ei opponat, quod forma finibusque careat [3]). Similiter hi philosophi gnostici, quo quid propius ad divinam naturam accedat, eo magis forma excultum et materia liberatum esse censent. Et Basilides quidem docuit, ne in hac re quidem a recentioribus Platonicis adeo remotus, unam esse in universum vitam, variis generibus gradibusve per mundum quasi in scala ascendentem, quorum in infimo materia posita sit, veluti

1) cf. p. 188 sq.

2) p. 244: σωματικὸν μέρος, ὃ ἦν τῆς ἀμορφίας καὶ ἀποκατέστη εἰς τὴν ἀμορφίαν.

3) τὸ ἄμορφον, τὸ ἄπειρον. Cf. Brandis Gesch. d. Philosoph. II. p. 298 sq.

vita evitata vel luce paullatim desinente et in tenebras mutata. Sic intelligenda est ea, de qua Origenes memorat[1]), μετενσωμάτωσις, sive vitae per mundum diffusae per diversas species usque ad humanam migratio. Per omnia enim permeans postremo ad eum locum pervenit, quem mens humana tuetur, quae reliquis in terra vitae generibus minus sive materia imbuta esse sive forma carere dicenda est. Summum vero et proprium statum super terram coelumque assurgendo assequitur; id quod quum Valentinus tum Basilides iterum formando fieri contendunt[2]). Itaque si in universum spectas, materia omnibus in terra rebus adhaeret, formas earum negans, impediens, offuscans; neque usquam ulla alia efficacia ei tribui videtur, quam, ut ita dicam, vis et vita inertiae. — Unitae vero et admistae seminibus melioribus materiae causam esse Basilides docuit concretionem illam, de qua omnes auctores referunt. Qua factum esse, ut diversorum generum ordo proprius et naturalis confunderetur[3]). Neque hoc fieri potuit sine intellectus humani perturbatione, quum, rebus mistis, paria imparium rerum nomina errorem audientibus gignerent[4]). Deinde quod Clemens[5]) σύγχυσιν ἀρχικὴν vocat, utrum temporum initia

1) Commt. ad Roman. lib. V.

2) Loquitur Valentinus de formatione κατ' οὐσίαν vel κατὰ γνῶσιν; simillime Basilides p. 241: ἡ υἱότης ἡ καταλελειμμένη εἰς τὸ εὐεργετεῖν τὰς ψυχὰς ἐν ἀμορφίᾳ καὶ εὐεργετεῖσθαι, διαμορφουμένη κατακολουθήσῃ τῷ Ἰησοῦ καὶ ἀναδράμῃ κ. τ. λ.

3) τάραχος καὶ σύγχυσις.

4) ἡ γὰρ ὁμωνυμία ταραχὴν ἐμπεποίηκε καὶ πλανὴν τῶν πραγμάτων τοῖς ἀκροωμένοις. p. 230.

5) Strom. II, 20.

an naturarum principalium oppositarumque concretionem spectet, dubitant viri docti. Nos quamquam utrumque eodem verbo dici posse confitemur, tamen, quoniam Hippolyto magistro cognoscimus, concretionem simul cum sato mundi semine factam esse, tempori momenti aliquid addendum esse putaverimus. Ordinem enim rerum exponentes ad unum omnes falluntur, qui statuunt, spirituum lapsum post perfectam singulorum Aeonum creationem accidisse, quum jam nascentes materia impediti sint paullatimque soluti ejus ex loco proficiscantur. Itaque quum, nulla aut peccati necessitate cogente, aut mali aggressu lacessente, statim ab initio et sponte divina talis commistio facta sit, vel, ut idem aliis dicam verbis, omnia e seminali et imperfecta conditione ad perfectiorem promovenda fuerint, quis est qui non videat, Basilidem etiam in hoc dogmate a Zoroastris de rerum principiis sententia discrepare? Nam is saevo Arimanium impetu lucem ejusque prolem aggressum, ac deinde pugnantium congressu lucis cum tenebris vel spiritus cum materia permistionem factam esse philosophatus est. Nobis vero priorem illum concretionis modum defendentibus, antequam amplius progrediamur, eorum ratio habenda est, qui causam mali rebus inhaerentis ullo modo in voluntate divina ponendam esse negent, praesertim quum Basilidis nobile effatum notissimum sit, quidvis potius se dicturum esse, quam providentiam esse malam[1]). At nos quidem arbitramur, Basilidi, quantum ipse viderit, haec dissona visa non esse; existimasse enim eum, lege

1) Clem. Strom. V, 12. p. 600 Pott.

naturae, eaque bona, rebus gignentibus praescriptum esse, ut in principio minus perfectae materiaque magis impeditae sint, deinde majorem et libertatem et bonitatem assecuturae. Accedit quod, ne persicum quidem contrariarum potestatum bellum si statuas, clariorem hoc rebus lucem fundet, quum non sine divina vel debilitate vel culpa fieri posset, ut tenebrae Oromasdis regnum invaderent. Sed qui Zoroastris placita Basilidem secutum esse suspicantur, maxime commoventur verbis quibusdam e disputatione Archelai Carrensis depromptis, ubi de dyarchia quadam a philosophis barbaris constituta Basilides disserit[1]). Quam quidem neque persicae mythologiae similem, neque a Basilide aliquatenus comprobatam esse negamus. Sed quum verba nexu sententiarum interrupto proposita sint, neque satis constet, quae in iis vel obtinenda vel refutanda illi visa sint, jam fere perdita causa parum sustinetur. Ne alterum quidem argumentum, quo idem effecturi nituntur, certiores nos ea de re reddit. Nam quae Basilides de vitiis humanis jactat, adhaerere animis daemones sive materiae particulas, ab ipso προςαρτήματα vocatas, qui-

---

1) cf. Irenaei opp. ed. Massuet. appdx. p. 349. „Quidam (e barbaris) dixerunt, initia omnium duo esse, quibus bona et mala associaverunt, ipsa dicentes esse ingenita, id est, in principiis lucem fuisse ac tenebras, quae ex semet ipsis erant, non quae esse dicebantur.“ — Postrema verba obscura, quum a nemine sufficienter illustrata esse videamus, liceat nobis, etsi timide, paucis explicare. Fortasse enim graeca, unde haec latine reddita sunt, sic scripta fuerant: ἃ ἐξ ἑαυτῶν ἦν, οὐκ εἶναι λεγόμενα, Basilide Zoroastris dogmata pro ipsius sententia interpretato de Deo, qui non esset, et de ἀμορφία, quae non vere esset.

bus mentes et lapidum et plantarum qualitatibus et bestiarum cupiditatibus afficiantur: haec apte quidem illi cum Persarum malignis geniis, Devs appellatis, comparant; attamen haud negligendum nobis videtur, tam divulgatas eo tempore ejusmodi fuisse opiniones, ut facillime quis in iis acquiescere posset, non assensus Zoroastris dyarchiae. Nam quae jam Christi temporibus facta esse evangeliis produntur, (Matth. 8, 31.) daemones ab illo abire jussos suibus potitos esse, in simili hominum opinione versantur. Possunt quodammodo cum his comparari, quae Clemens Alexandrinus memoriae tradidit, etiam Valentinum corda humana docuisse daemonibus veluti cauponas repleta et inquinata, luce vero divina illustranda et purganda esse[1]). Tum, quod Isidorus Basilidis filius incitat, ut ratione pejorem naturam in nobis creatam vincamus[2]), non agitur, ut perperam intellexerunt viri docti[3]), de duabus tantum creationibus, bona malaque, quum secundum Basilidem tot sint creationes, quot in universo mundo Aeonum regna gradusque[4]). Et quaecunque a patre filioque praeterea praecepta ad bonum perficiendum vitandumque malum

1) Strom. II, 20. Cf. Hippolyt. p. 193: Ἔστι δὲ οὗτος ὁ ὑλικὸς ἄνθρωπος οἱονεὶ κατ' αὐτοὺς (i. e. Valentinianorum sectam) πανδοχεῖον ἢ κατοικητήριον, ποτὲ μὲν ψυχῆς μόνης, ποτὲ δὲ ψυχῆς καὶ δαιμόνων, ποτὲ δὲ ψυχῆς καὶ λόγων, οἵτινές εἰσιν — κατοικοῦντες ἐν σώματι χοϊκῷ μετὰ ψυχῆς, ὅταν δαίμονες μὴ συνοικῶσι τῇ ψυχῇ.

2) Strom. II, 20. p. 488 Pott.

3) e. g. Baurius in libro „die christliche Gnosis“ p. 216.

4) Hippol. p. 240: κτίσεις γὰρ κατ' αὐτὰ τὰ διαστήματα κατ' αὐτοὺς ἄπειροι.

dantur, tantum abest, ut solam persicam commendent dyarchiam, ut simillima apud Valentinum et Plotinum invenias. Denique erunt fortasse qui in hoc offendant, quod Basilides, consummatis aliquando omnibus rebus, materiam suo loco colligendam semperque duraturam esse putavisse videatur. Sed quamquam inde cognosci potest, illum interdum sentire, materiam esse aliquid, tamen ne tum quidem vires quondam efficaces inesse, sed potius rem prorsus vita viribusque carentem, multoque similiorem Platonis quam Zoroastris sententiis describit. Verum si quis censet, Basilidem sua de materia opinione ad Stoicorum rationem, unde fortasse seminis mundani notio ei orta sit, propius accessisse, respondebimus nos, materiam secundum Stoicorum dogmata tantum substantiae propriae habere, ut nunquam ab iis μὴ ὄν sive οὐκ ὄν appelletur. Sin autem quis Hippolyti sententiam vel in hac re obtinebit, Basilidem Aristotelis asseclam fuisse, haud quidem absurdum putabimus, quum Aristoteles materiam quasi rem communem singularibus inesse doceat, neque dubitet eam οὐκ ὄν appellare[1]). Sed quoniam Basilides in tot tantisque aliis rebus platonicis sententiis faveat, non est cur de hac una ab earum parte recedamus. Nihil enim obscuri remanere videtur, dummodo memineris, platonica dogmata vel siquid parsicorum addiderit illum, quantum in se fuerit, christianae religioni adaptavisse.

Sed quum satis de dyarchiae modo actum sit, jam redeamus ad Basilidis de mundi creatione et conditione

---

1) cf. Ritter Gesch. d. Philos. III. p. 147. 148.

mythos. Tria quum essent υἱότητος genera, tertium, ceteris tardius, materiae quasi vinculis tantopere constrictum erat, ut suis viribus nec solvi nec assurgere ex communi rerum semine posset. Restitit aliud genus vitale, animale (ψυχικόν) dictum, in semine finibusque materiae; quae sese vicissim adjuvabant in vi conformationis ascensionisque paranda. Dum enim et creatione et redemptione genus filiorum (ἡ υἱότης) conformatur, idem fit de generi animali, etsi multo inferiori, illi adhaerente, ut spiritus sanctus secundo filiorum generi; solaque materia est, quae quum per se formando contraria sit, pulcherrimarum formarum velaminis tantum et impedimenti instar remaneat. Deus vero, sua qui et sapientia et providentia omnia complectitur, secreto consilio id egit, ut infirma et quasi semiviva lucis semina roboraret, colligeret collectaque in pleroma transduceret. Cujus rei in ordinando isto mundo initium facturus e seminis acervo Archontem excitavit, qui mundum excoleret et ipsius vicarius regeret. Qui quum primum natus est, ad locum spiritui sancto longo intervallo proximum infraque pleroma situm nihil moratus contendit. Itaque quamquam, quaecunque infra se posita erant, immortali et pulchritudine et vi et magnitudine superabat, adeo tamen a Deo separatus erat, ut nulla ejus aut suspicio in mentem veniret, aut vires essent transeundorum pleromatis finium [1]). Quo errore ductus se

---

1) p. 235. Ὄντος οὖν τοῦ στερεώματος, ὅ ἐστιν ὑπεράνω τοῦ οὐρανοῦ, διέσφυξε καὶ ἐγενήθη ἀπὸ τοῦ κοσμικοῦ σπέρματος καὶ τῆς πανσπερμίας τοῦ σωροῦ ὁ μέγας Ἄρχων, ἡ κεφαλὴ τοῦ κόσμου, κάλλος τι καὶ μέγεθος καὶ δύναμις λυθῆναι μὴ δυναμένη.

ipsum summum unicumque deum et, quem finxit mundum, suum esse opinatus est suique ipsius, ut putabat, regi consiliis [1]). Sed deus ignorantem ad ea, quae voluit, incitabat ejusque opera fecit, ut universus mundus iis, quas ipse constituerat, legibus ordinaretur. Suum igitur Archon, in quo ipse sedebat, coelum nesciens ita instituit, ut pleromatis effigies conficeretur. Astrologiae enim regulas secutus, quibus omnia disponerentur, septem magnos procreavit Aeones, quorum ipse summum caput fuit. Unde non solum sublimis ille, ubi consederunt, locus, sacerrimum Ogdoadis nomen traxit, sed et ipse antistes eodem nomine ornatus est [2]). De alio autem ejus nomine dissentiunt auctores. E quibus Irenaeus [3]) et qui eum secuti esse videntur, auctor ultimae partis tertullianearum praescriptionum [4]) et Hieronymus [5]) nomen Abrasax ad summum deum referunt, Hippolytus vero Archonti dat [6]). Qua in disceptatione non veremur ab Hippolyti partibus stare, quum et Basilides vix credendus sit summo Deo nomen apposuisse praedicati-

---

1) p. 236. — οὗτος γεννηθεὶς ἐπῆρεν ἑαυτὸν καὶ μετεώρισε, καὶ ἠνέχθη ὅλος (fortasse ὅλως?) ἄνω μέχρι τοῦ στερεώματος. (Sic enim pro στερεώμ. ἔστη Miller recte legere videtur.) — ἠγνόει γὰρ, ὅτι ἐστὶν αὐτοῦ σοφώτερα καὶ δυνατώτερα καὶ κρείττω. Νομίσας οὖν αὐτὸς εἶναι κύριος καὶ δεσπότης καὶ σοφὸς ἀρχιτέκτων, τρέπεται εἰς τὴν καθ' ἕκαστα κτίσιν τοῦ κόσμου.

2) p. 236.

3) adv. haer. I, 24.

4) c. 46.

5) Commt. ad Amos. 3.

6) p. 240.

vum, et Irenaeus [1]) et Theodoretus [2]) in iis, quae narrant, hippolytianae sententiae vestigia haud occulta prodant, principem sive Ἄρχοντα trecentorum sexaginta sex coelorum nomen habere Abrasax dicentes. In hoc omnes conveniunt, mystico vocabulo, cujus litterae illum numerum consignent, totidem coelos indicari; Hippolytus vero uberius disserit, coelos sacrae Ogdoadis antitypos et geniis majoribus minoribusque repletos esse, ut unumquodque coelum quasi mundus creatus [3]) (κτίσις) sit. E quibus qui aethereas regiones, quarum luna terminus, tueantur, a summo illo Archonte ipso et procreatos esse et regi; inter lunam vero nostramque terrestrem regionem jacentia regnum esse alius Archontis, excelsi quidem et potentis, multo tamen illo inferioris. Ab eodem locum quendam, cui nomen Hebdomadis sit, quasi arcem teneri, ipsumque Hebdomadem nominari, quum planetarum eorumque angelorum creator et princeps sit [4]). Quis igitur est qui non videat, huncce esse Archontem, quem unum solum per notos hucusque auctores noverimus, alterum vero majorem non nisi per

---

1) l. l.

2) haeret. fab. ep. I, 4.

3) Hippol. p. 240.

4) p. 237. Κεκοσμημένων οὖν πάντων τῶν αἰθερίων, πάλιν ἀπὸ τῆς πανσπερμίας ἄλλος ἄρχων ἀνέβη, μείζων μέντοι πάντων τῶν ὑποκειμένων, χωρὶς μέντοι τῆς καταλελειμμένης υἱότητος, πολὺ δὲ ὑποδεέστερος τοῦ πρώτου ἄρχοντος. Ἔστι δὲ καὶ οὗτος ἄῤῥητος ὑπ' αὐτῶν λεγόμενος. Καὶ καλεῖται ὁ τόπος οὗτος ἑβδομάς, καὶ πάντων τῶν ὑποκειμένων οὗτός ἐστι διοικητὴς καὶ δημιουργός, κ. τ. λ.

Hippolytum in cognitionem nostram venisse, de rebus utriusque accuratius separandis optime meritum. Qui quamquam et indole et gradu (διαστήματι) et loco valde diversi sunt, tamen ex eodem universalis seminis psychico elemento nati sunt. At per infinita ipsorum regna spirituale elementum dispersum est; vident, sed non intelligunt ejus vim; admirantur tamen pulchritudinem, diligunt, quaerunt, colligunt, conformant [1]). Deinde, sicuti summus deus nobilissima filiorum genera ad se traxit, Archontes, deo movente, e spiritali elemento filios sibi procreatos summo ornarunt honore, ad dexteras ponentes, et, quae ex pleromate per filios etsi ignaris instillabantur, adsentientes excipiebant. Ita factum est, ut, eadem lege in supremis, infimis, mediis spatiis jubente, in omnibus universi mundi partibus genus spirituale (πνευματικόν), superatis naturis minoribus, in summa ascenderet. Quod quum Archontum auxilio sponte praestito efficiatur, censeat aliquis non sine veri similitudine, Archontes non ea esse indole, ut bellum inter ipsos summumque deum nasci possit, ignorantiaque potius quam odio ab eo separatos esse. Quam rem Neander V. S., qua erat ingenii sagacitate, consideratis paucissimis, quae exstant, Clementis de Basilide verbis, optime perspexit perspectamque feliciter contra eos defendit,

---

1) p. 236. Καὶ πρῶτον μὲν ἠξίωσε (ὁ μέγας ἄρχων) μὴ εἶναι μόνος, ἀλλὰ ἐποίησεν ἑαυτῷ καὶ ἐγέννησεν ἐκ τῶν ὑποκειμένων υἱὸν ἑαυτοῦ πολὺ κρείττονα καὶ σοφώτερον. — Ἰδὼν οὖν τὸν υἱὸν ἐθαύμασε καὶ ἠγάπησε καὶ κατεπλάγη, τοιοῦτον γάρ τι κάλλος ἐγένετο υἱοῦ τῷ μεγάλῳ ἄρχοντι (legend. videtur τῷ υἱῷ τοῦ μεγάλου ἄρχοντος)· καὶ ἐκάθισεν αὐτὸν ἐκ δεξιῶν ὁ ἄρχων.

qui Basilidem suos Archontes Saturnini vel Ophianorum ratione deo adversarios descripsisse opinati sunt. Quod agentem non solum, quae modo diximus, sed multa etiam alia, quae postea exponemus, egregie adjuvabunt. Et quum pro Archontis, qui mundi et creator et dominus sit, indole res naturae hominumque conditae sint et digestae, jam apparet, Basilidem, id quod Neander censuit, iis adnumerandum esse Gnosticis, qui divinam in Christo revelationem factam ordine rerum naturalium et humanarum praeparatam eique consentaneam esse arbitrati sint. Haec profecto facilius probabuntur, exposita Basilidis de gubernatione mundi sententia. Creatis enim per Archontes singulis in mundo rebus atque ita institutis, ut lux per materiam absorpta dispersaque, lapidum, plantarum, animalium serie perlustrata, in humanam mentem assurgeret et quasi colligeretur, deus eo consilio res gessit, ut, commistione paullatim dissoluta, spiritualia, psychica, materialia discernerentur et suis quaeque locis ponerentur. Itaque in suo uterque Archon regno atque in hoc orbe terrarum, deo permittente, rerum incrementa ita duxit, ut vis et natura seminibus insita postulabat, minore Archonte, stellarum rege, omnibus, quae nascuntur, praesertim astrologis legibus sua tempora destinante. Hanc enim re vera Basilidis sententiam esse putamus, quam Hippolytus, qui interdum dormitat, perperam intellexisse videtur, quod, tribus maxime mundi gradibus positis, supra lunam quidem majorem Archontem, infra minorem, in nostro vero loco nullum nec antistitem nec demiurgum esse enarret, quum terrestribus rebus ratio divina quasi a deo insita in iisque visa

sufficiat[1]). Neque enim ipse Hippolytus Archontem minorem negat stellarum loco lapsuque horas rebus mortalium figere, etsi voluntate summi Dei non cessante[2]). Unde Archontis providentiam non plane a rerum semine et origine alienam esse redundat, manebuntque, quae suo jure Clemens Alexandrinus ea de re refert, providentiae quidem opera agi ab Archonte, primas vero causas legesque incrementorum insitas esse jam in rerum seminibus[3]). Ceterum inde memorabilem Basilidis de providentia divina sententiam accuratius perspici, haud minimum libri detecti meritum est. Jam vero quod ad inenarrabilis dei in mundo cognitionem et natam et divulgatam attinet, quae his quidem philosophis res est

---

1) p. 237. Πάντα οὖν ἐστι προνοούμενα καὶ διοικούμενα ὑπὸ τῆς μεγάλης τοῦ ἄρχοντος τοῦ μεγάλου (suppl. δυνάμεως) τὰ αἰθέρια, ἅτινα μέχρι σελήνης ἐστίν· ἐκεῖθεν γὰρ ἀὴρ αἰθέριος διακρίνεται. Sequitur inde locus supra (p. 20) adductus, quo alter Archon natus esse inferioresque regiones regere narratur. Tum pergit hisce verbis: Τὸ δὲ ἐν τῷ διαστήματι τούτῳ ὁ σωρὸς αὐτός ἐστί, φησί, καὶ ἡ πανσπερμία, καὶ γίνεται κατὰ φύσιν τὰ γινόμενα ὡς φθάσαν τεχθῆναι ὑπὸ τοῦ τὰ μέλλοντα λέγεσθαι, ὅτε δικαιοῖ ἃ δεῖ καὶ ὡς δεῖ λελογισμένῳ (Verba inde ab ὡς φθάσαν corrupta. Videtur φθάσαν e verbo φύσιν perperam interposito natum esse: ut non verba, sensum tamen assecuti esse nobis videmur, loco sic emendato: καὶ γίνεται κατὰ φύσιν τῶν γινομένων τὸ τεχθῆναι ὑπὸ τοῦ τὰ μέλλοντα γίνεσθαι ὅτε δεῖ καὶ ἃ δεῖ καὶ ὡς δεῖ λελογισμένου.) Καὶ τούτων ἐστὶν ἐπιστάτης ἢ φροντιστὴς ἢ δημιουργὸς οὐδείς. Ἀρκεῖ γὰρ αὐτοῖς ὁ λογισμὸς ἐκεῖνος, (suppl. ὃν) ὁ οὐκ ὤν, ὅτε ἐποίει, ἐλογίζετο.

2) cf. p. 242. 243.

3) Strom. 4, 12. ἡ πρόνοια, εἰ καὶ ἀπὸ τοῦ ἄρχοντος, ὡς φάναι, κινεῖσθαι ἄρχεται, ἀλλ' ἐγκατεσπάρη ταῖς οὐσίαις σὺν καὶ τῇ τῶν οὐσιῶν γενέσει πρὸς τοῦ τῶν ὅλων θεοῦ.

omnium gravissima, Basilides nullam primis temporibus aut in Archontibus aut in genere humano fuisse docet. Quinimo quum major Archon se ipsum et aeternum et unicum omnium rerum dominum esse putaret, tali ejus errore et superbia id accidisse, quod Paulus dicat apostolus, ex Adami usque ad Moysis tempora regnavisse peccatum[1]). Quae verborum apostolicorum interpretatio si cui mira et a re aliena videtur, Basilidem advertat, quae generis humani sint, ad ejus antistitem referre. Hoc suo profecto jure judicavit, spiritalia rebus sensualibus, divina naturalibus, vel, ut ipsius notionibus utar, τὰ πνευματικὰ τοῖς ψυχικοῖς et ὑλικοῖς oppressa et offuscata fuisse. Quare etiam hoc praeclare Basilides Paulum secutus genus filiorum, ait, desiderio revelandae libertatis gloriaeque moveri; moveri autem cum iis dolendo, desiderando, suspirando totum mundum, quum, nisi illorum ordine restituto, suam quaeque salutem adipisci non possint[2]). Ex humano genere Archontem minorem Judaeorum sibi gentem elegisse, quam regeret et

---

1) p. 238. καθὼς γέγραπται· (Rom. V, 13. 14.) ἐβασίλευσε γὰρ ὁ μέγας ἄρχων, ὁ ἔχων τὸ τέλος αὐτοῦ μέχρι στερεώματος, νομίζων αὐτὸς εἶναι θεὸς μόνος, καὶ ὑπὲρ αὐτὸν εἶναι μηδέν· πάντα γὰρ ἦν φυλασσόμενα ἀποκρύφῳ σιωπῇ. Τοῦτο, φησίν, ἔστι τὸ μυστήριον, ὃ ταῖς προτέραις γενεαῖς οὐκ ἐγνωρίσθη, ἀλλὰ ἦν ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις βασιλεὺς καὶ κύριος, ὡς ἐδόκει, τῶν ὅλων ὁ μέγας ἄρχων, ἡ ὀγδοάς.

2) p. 238. καὶ ἡ κτίσις αὐτὴ συστενάζει καὶ συνωδίνει τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ ἐκδεχομένη. (Rom. VIII, 22.) Υἱοὶ δέ, φησίν, ἐσμεν ἡμεῖς οἱ πνευματικοὶ ἐνθάδε καταλελειμμένοι, διακοσμῆσαι καὶ διατυπῶσαι καὶ διορθώσασθαι καὶ τελειῶσαι τὰς ψυχὰς κατὰ φύσιν ἐχούσας μένειν ἐν τούτῳ διαστήματι.

ad salutem perduceret et a qua coleretur, ex iis elucet, quae Hippolytus tradit, consentientibus reliquis auctoribus. Eundem Moysi se revelasse, haec verba locutum, Exodi libro desumpta: „Ego Deus sum Abraami et Isaaci et Jacobi, neque nomen Dei iis revelavi“ [1]). Nomine divino recondito Hippolytus magni Archontis nomen indicatum esse docet: hoc quidem esse arcanum sacrumque, minoris vero vulgatum [2]). Equidem nescio an Basilides, cujus dictum mancum esse doleo, Abrasax vel aliud Archontis magni nomen tum Moysi revelatum reliquisque veteris testamenti prophetis notum fuisse opinatus sit. Quid si fortasse ipsum Moysem summi et inenarrabilis dei cognitionem habuisse arbitratus est? Potest quippe fieri, ut, quum Clemente auctore dicat Moysem, pluribus altaribus vetitis, unum tantum dei templum condidisse, quo unicum esse mundum indicaverit [3]), in animo habuerit, mundum ex uno rerum semine natum et quasi templum esse unici dei, qui ejus semen sparserit. Neque enim quae Clemens jactat Basilidem inde non intellexisse, quod debuerit, unicum esse deum, impedit, quominus verba sic interpretemur, quum non negaverimus, quod Clemens sibi velit, Basilidem praeter summum etiam Archontes deos facere.

---

1) p. 238. cf. Exod. VI, 3.

2) l. l. ἔστιν ἡ μὲν ὀγδοὰς ἄῤῥητος, ῥητὸν δὲ ἡ ἑβδομάς.

3) Clem. Alex. Strom. V, c. 11. §. 75. p. 691. Pott. ὁ Μωυσῆς οὐκ ἐπιτρέπων βωμοὺς καὶ τεμένη πολλαχοῦ κατασκευάζεσθαι, ἕνα δ᾽ οὖν νεὼν ἱδρυσάμενος τοῦ θεοῦ μονογενῆ τε κόσμον, ὥς φησιν ὁ Βασιλείδης, καὶ τὸν ἕνα, ὡς οὐκέτι τῷ Βασιλείδῃ δοκεῖ, κατήγγειλε θεόν.

Sin autem Basilides inenarrabilem deum, quod praeferendum esse nobis videtur, non intelligit, certe non minorem, sed majorem Archontem a Moyse symbolo monstratum esse sentit. His autem ita constitutis, Hippolytum minime a nostris habemus partibus, quippe qui neque a Moyse neque a prophetarum quoquam alium, quam minorem Archontem cognitum fuisse arbitrari videatur. Quos quum dicat ab Archonte motos vaticinatos esse[1]), tantum abest, ut summi Dei afflatum accessisse sentiat, ut ne Valentinus quidem, si illum solum audias, veteris testamenti prophetas alio impetu, nisi qui impellente Demiurgo supervenerit, excitatos fuisse docuerit[2]). Unde satis elucet, de quo potuit alias dubitari, eundem auctorem, quum de Archonte prophetas inspirante agat, non majorem, sed minorem intellectum velle. Sed tali eum opinione errare jam inde pro certo constat, quod utriusque magistri discipuli fideles aliter de hac re judicant. Ptolomaeum e Valentinianis Florae amicae exposuisse, quae in vetere testamento divina quaeve psychica vel hylica essent, nemo ignorat. Isidorum vero, quem in re gravissima patris praecepta neglexisse nullo modo credimus, Chami patriarchae vaticiniis usum fuisse certissimus auctor Clemens refert[3]). Quae quum ita sint, non solum Valentini,

---

1) Hippolyt. p. 238. Πάντες οὖν οἱ προφῆται οἱ πρὸ τοῦ σωτῆρος, φησίν, ἐκεῖθεν (i. e. ἀπὸ τοῦ ἄρχοντος) ἐλάλησαν.

2) p. 194. Πάντες οὖν οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἐλάλησαν ἀπὸ τοῦ δημιουργοῦ, μωροῦ λέγει θεοῦ, μωροὶ οὐδὲν εἰδότες.

3) Strom. VI, 6.

sed etiam Basilidis prophetas censendum est impetus e pleromate devenientes passos majoraque elocutos esse, quam quae Demiurgi intellexerint. Praeterea quum Basilides Zoroastris de luce et tenebris theosophiam ex parte aliqua comprobaverit, Isidorusque moneat, ut altissima Chami prophetia et Pherecydis graeci philosophi, orientali sapientia usi, dogmata discantur, et quum uterque Barkophi sive Parchoris prophetae vaticinia magni faciat, omnes speramus persuasum habituros, non solum ad Judaeos, sed etiam ad alias gentes ante Christum florentes secundum Basilidis sententiam veritatis lucis radios aliquos penetrasse, neque quemquam Hippolytum, id tacendo negantem, secuturum. Veritatis igitur semine sic per omne genus humanum disperso, homines desiderio totius acquirendae cognitionis commovebantur. Qua cupiditate incensa quum omnia satis praeparata essent, ut evangelium mundo revelaretur, summi dei gratia ad nostrum usque gradum demissum est, alia tamen ratione, quam qua Basilides cogitasse a doctis creditus est. Nam a summo genio, qui Nus dictus est, revelationem confectam esse, id quod ex aliorum Gnosticorum sententiis redundat, Hippolytus quidem, ejusdem Aeonis loco υἱότητα appellans, non prorsus infitiatur. At ante ejus librum repertum nemo suspicatus est, illum Nun de loco coelesti nihil excessisse [1]), sed vires tantum emisisse, quae omnes permearent regiones. Ad pleromatis fines appropinquantes primum

---

1) p. 239. οὐδὲν κατῆλθεν ἄνωθεν, οὐδὲ ἐξέστη ἡ μακαρία υἱότης ἐκείνου τοῦ ἀπερινοήτου καὶ μακαρίου οὐκ ὄντος θεοῦ.

a spiritu sancto exceptae ejusque auxilio ad inferiores partes deductae sunt [1]). Qui quum genus filiorum et ad patrem evexerit et vires ejus rursus detulerit, spiritus servus (πνεῦμα διακονούμενον) vocatur [2]), quod nomen cum Neandro omnes No mundi servandi causa in Jesum, ut putabant, descendenti tribuerunt. In unaquaque inferiori regione facultates divinae a regis filio, locum υἱότητος tuenti, excipiebantur, regi praestabantur, porro demittebantur. E quibus filius magni Archontis, ideis divinis quasi luce oriente e longinquo conspectis, ad excipiendas sese erexit earumque vi, sicuti naphtha vel remotissima exardescit flamma, correptus est et collustratus [3]). Tum Archon, a filio doctus animadvertensque, se neque aeternum neque omnium rerum dominum sed natum esse inferioremque non solum summo deo, sed etiam ejus filiorum genere, intellexit ignorantia et superbia se antea elatum fuisse et majoris, quam fas esset, potestatem suam aestimasse. Unde terrore perculsus talibus verbis, qualia jam psalmorum vates praedixit, errorem confessus est: „Peccatum meum cognovi

1) ibid. ἡ γὰρ ἐν μέσῳ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐν τῷ μεθορίῳ τῆς υἱότητος δύναμις ῥέοντα καὶ φερόμενα τὰ νοήματα τῆς υἱότητος μεταδίδωσι τῷ υἱῷ τοῦ μεγάλου ἄρχοντος.

2) Clem. Str. II, 8. init. p. 448. Pott.

3) ibid. Ἀλλὰ γὰρ καθάπερ ὁ νάφθας ὁ ἰνδικὸς, ὀφθεὶς (fortasse τεθεὶς) μόνον ἀπὸ πάνυ πολλοῦ διαστήματος, συνάπτει πῦρ, οὕτω κάτωθεν ἀπὸ τῆς ἀμορφίας τοῦ σωροῦ διήκουσιν αἱ δυνάμεις ἄνω μέχρις (sic legas pro μέχρις ἄνω) τῆς υἱότητος. Ἅπτει μὲν γὰρ καὶ λαμβάνει τὰ νοήματα [κατὰ τὸν νάφθαν τὸν ἰνδικὸν, haec verba delenda esse videntur] οἷον νάφθας τις ὢν ὁ τοῦ μεγάλου τῆς ὀγδοάδος ἄρχοντος υἱὸς ἀπὸ τῆς μετὰ τὸ μεθόριον μακαρίας υἱότητος.

et injustitiam scio; jam confitebor eam in aeternitatem.“ Ceterum jam elucet, Archontis poenitentiam, quam omnes adhuc putaverunt tum demum factam esse, quum Jesus baptizaretur, multo antea evenisse. Archontem vero et post eum eos, quorum sit dominus, poenitentia facta progressos esse in divinorum mysteriorum cognitione acquirenda, quod Basilides his praeterea verbis, scriptura sacra depromptis, significatum esse dicit: „Timor Dei sapientiae initium“ [1]). Quae omnia quum Archontis filii opera et inchoata et confecta sint, diversis quasi gradibus positis, quibus liberatio mundi facta sit, ipse quodammodo hujus superioris regionis servator appellandus est, unde et Christi nomen ei additum est. Similiter in unoquoque mundi gradu princeps cum reliquis suae ditionis Aeonibus a filio de superiorum geniorum numinibus omnibusque, quae ut ab iis cognoscerentur apta erant, doctus est. Postremo quum ad minorem Archontem perventum esset, et ipse perterritus et falsa de sua magnitudine opinione sese ductum fuisse confessus est [2]). Simulque re perspecta uterque

---

1) p. 239. Ἦλθεν οὖν τὸ εὐαγγέλιον πρῶτον ἀπὸ τῆς υἱότητος, φησί, διὰ τοῦ παρακαθημένου τῷ ἄρχοντι υἱοῦ τὸ (hoc verbum delendum videtur) πρὸς τὸν ἄρχοντα. καὶ ἔμαθεν ὁ ἄρχων ὅτι οὐχ ἦν θεὸς τῶν ὅλων, ἀλλ' ἦν γεννητός, καὶ ἔχων τὸν ὑπεράνω τοῦ ἀῤῥήτου καὶ ἀκατονομάστου οὐκ ὄντος, καὶ τῆς υἱότητος κατακείμενον θησαυρόν (verba ultima, procul dubio corrupta, sic emendare ausi sumus: ἔχων ὑπεράνω τὸν ἄῤῥητον καὶ ἀκατονόμαστον οὐκ ὄντα καὶ τὸν τῆς υἱότητος sq.) καὶ ἐπέστρεψε καὶ ἐφοβήθη, συνιεὶς ἐν οἵᾳ ἦν ἀγνοίᾳ. τοῦτό ἐστι, φησί, τὸ εἰρημένον· ἀρχὴ σοφίας φόβος κυρίου. Cf. Strom. II, 8.

2) Hippol. p. 240. Ἐπέλαμψεν ὁ υἱὸς τοῦ μεγάλου ἄρχοντος

Archon gavisus est summoque Deo plane sese subjecit. Nuntius vero allatus, quum et bonus esset et gaudio illos repleret, evangelium vocatum est[1]). Mirandum est, quanta Neander ingenii sagacitate harum sententiarum rationem divinaverit, solo ductus verbo εὐαγγελίζεσθαι a Clemente memoriae prodito, quamque apte de totius basilidianae systematis indole inde judicaverit[2]). Inter ea vero, quae nova sunt et a viro summo sciri non potuerunt, haec animadvertas, Archontem minorem, planetarum dominum, etiam Jesu nascendi tempus destinasse atque fecisse, ut Magi, Servatoris stella conspecta, eum natum esse divinarent. Ejusmodi lege vitam suam ordinari ipsum Jesum docuisse professum, horam suam nondum venisse, Basilides haud insulse fabulatur[3]). Idem quae praeterea de Jesu natura vitaque exposuit, quo noviora sunt magisque a reliquorum Gnosticorum

---

τῷ υἱῷ τοῦ ἄρχοντος τῆς ἑβδομάδος, τὸ φῶς ὃ εἶχεν ἅψας αὐτὸς (**Miller rectius sic pro** αὐτοὺς) ἄνωθεν ἀπὸ τῆς υἱότητος, καὶ ἐφωτίσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἄρχοντος τῆς ἑβδομάδος, καὶ εὐηγγελίσατο τὸ εὐαγγέλιον τῷ ἄρχοντι τῆς ἑβδομάδος καὶ ὁμοίως κατὰ τὸν πρῶτον λόγον καὶ αὐτὸς ἐφοβήθη καὶ εὐηγγελίσατο.

1) **Hippol. p. 243.** Εὐαγγέλιόν ἐστι κατ' αὐτοὺς ἡ τῶν ὑπερκοσμίων γνῶσις, ὡς δεδήλωται, ἣν ὁ μέγας ἄρχων οὐκ ἠπίστατο. — ἐχάρη ἐπὶ τοῖς λεχθεῖσι καὶ ἠγαλλιάσατο, τοῦτ' ἔστι κατ' αὐτοὺς τὸ εὐαγγέλιον.

2) **cf. Kirchengesch. I. p. 709.**

3) **p. 242.** Ὅτι δέ, φησίν, ἕκαστον ἰδίους ἔχει καιρούς, ἱκανὸς ὁ σωτὴρ λέγων· οὔπω ἧκεν ἡ ὥρα μου. καὶ οἱ μάγοι τὸν ἀστέρα τεθεαμένοι. ἦν γάρ, φησί, καὶ αὐτὸς ὑπὸ γένεσιν (**legas potius** κατὰ γένεσιν ὑπ') ἀστέρων καὶ ὡρῶν ἀποκαταστάσεως (**fortasse rectius** -στάσει) ἐν τῷ μεγάλῳ προλελογισμένος σωρῷ.

sententiis discrepant, eo digniora tractatu esse videntur. Ille enim inter insigniores Gnosticos tempore princeps, multo propius quam alii ad evangeliorum nostrorum de Jesu descriptionem accedit, e Maria eum procreatum fuisse sentiens, coelestis luminis vi ex Hebdomade delata. Nam quum filius Mariae vim divinam concipientis appelletur, dubitandum non est, Josephi quin non fuerit, perperamque creditum sit, Basilidem Ebionitarum adeo opiniones suas fecisse, ut Jesum eodem, quo reliqui homines, modo genitum esse arbitratus sit[1]). Est autem Jesus homo spiritualis proprie dictus, quum quasi summa spiritus sit per orbem diffusi, in quo universa mundi vita virtutis fastigium attigerit. Potest igitur idem inter creata proprie dici creatura et in genere filiorum proprie filius[2]). Praeterea quoniam mens ejus repleta erat viribus e pleromate delatis, attractis iis, quae inter pleroma terramque positae erant, quibus illae descenden-

---

1) p. 322. 241. Κατῆλθεν ἀπὸ τῆς ἑβδομάδος τὸ φῶς τὸ κατελθὸν ἀπὸ τῆς ὀγδοάδος ἄνωθεν, τῷ υἱῷ τῆς ἑβδομάδος, ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τῆς Μαρίας, καὶ ἐφωτίσθη συνεξαφθεὶς τῷ φωτὶ τῷ λάμψαντι εἰς αὐτόν. Τοῦτό ἐστι, φησί, τὸ εἰρημένον· „πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε“, τὸ ἀπὸ τῆς υἱότητος διὰ τοῦ μεθορίου πνεύματος ἐπὶ τὴν ὀγδοάδα καὶ τὴν ἑβδομάδα διελθὸν μέχρι τῆς Μαρίας, καί· „δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι“ (Luc. 1, 35.), ἡ δύναμις τῆς κρίσεως ἀπὸ τῆς ἀκρωρείας ἄνωθεν τοῦ δημιούργου μέχρι τῆς κτίσεως, ὅ ἐστι τοῦ υἱοῦ.

2) p. 243. Οὗτός ἐστιν ὁ κατ' αὐτοὺς νενοημένος ἔσω ἄνθρωπος πνευματικὸς ἐν τῷ ψυχικῷ (ὅ ἔστιν υἱότης ἐνταῦθα ἀπολιποῦσα τὴν ψυχήν, οὐ θνητήν, ἀλλὰ αὐτοῦ μένουσαν κατὰ φύσιν, καίπερ (legas potius καθάπερ) ἄνω λέλοιπεν ἡ πρώτη υἱότης τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸ μεθόριον ἐν οἰκείῳ τόπῳ) ἰδίαν τότε περιβεβλημένος ψυχήν.

tes adjuvabantur, eratque circumdata non solum anima sensuali [1]), sed etiam corpore re vera carnali, sic dominus noster quasi microcosmus cuncta universi mundi elementa coëgit eorumque, quae in mundo et supra mundum sunt, instar et vinculum extitit. Ceterum in ejus natura rebusque, quales Basilides descripsit, Hippolytus negat se quidquam, quod a nostrorum evangeliorum enarratione abhorreat, invenisse [2]). Qua re etiam id satis constat, baptismo a Joanne facto initiatum Messiam publice prodiisse, quod Clemens Alexandrinus confirmat, Basilidianos in ejus rei memoriam festum celebrare referens [3]). Sed quum jam a vitae initio facultate divina plenus esset, fieri non potuit, ut inter baptizandum omnis coelestis numinis vis vel ipse Aeon quidam superior in eum descenderet, praesertim quum Hippolytus Aeonum quemquam de sublimi suo loco decessisse disertis verbis negaverit. Unde redundare videtur, Basilidem illum diem festum non tanti fecisse, quanti huc usque credebatur, faciliusque mihi persuaserim, diem non ab ipso primo constitutum, sed ecclesia catholica tradente acceptum esse. Sed quocunque modo haec se habent, inde a baptismi tempore Basilides cum evangeliis consentiens docuit, Jesum quum miraculis [4])

---

1) Vid. supra l. l.

2) p. 243. Γεγενημένης δὲ τῆς γενέσεως προδεδηλωμένης, γέγονε πάντα ὁμοίως κατ' αὐτοὺς τὰ περὶ τοῦ σωτῆρος, ὡς ἐν τοῖς εὐαγγελίοις γέγραπται.

3) Strom. I. §. 146. Pott. p. 408.

4) Cf. p. 242. fin. sq.

tum doctrina Messiam se praestitisse. Quae docuit, ad eadem maxime tendebant, quae revelatione coelesti Archontibus tradita et per coelos divulgata fuerant; deum summum esse, qui omnium fons sit, quamvis non sit; genus praeterea filiorum dei spiritumque sanctum medium inter pleroma mundumque, deinde mundum a deo conditum, Archontum opera formatum esse perfectumque iri aliquando omnium rerum ordine fixo, a Jesu praeparato [1]). Hanc esse sapientiam arcanam, quam apostolus non ab hominibus, sed a spiritu sancto se didicisse dicat [2]). Mortem domini nostri in redimendo mundo negare solent quidquam effecisse Gnostici, quum solum hominem mortuum esse, coelestem vero genium, servandi mundi causa cum eo conjunctum, ab omni dolore, vel quidquid homines patiantur, alienum ideoque a Jesu, quum in mortem traderetur, rursus separatum fuisse censeant. Sed Basilides, qui nullum Aeonem noverit in Jesum aut baptizandum aut baptizatum descendentem, nihil prorsus refert de Aeone illum moriturum relinquente. Nihilominus jam invaluit a Clemente auctore profecta opinio, servatoris mortem secundum Basilidem in salute hominum paranda ne tantulum quidem effecisse, neque majoris esse momenti, quam pro sententiis eorum Ebionitarum, qui a Judaica ratione proximi absint. Nam quum Basilides justitiam divinam res ita

1) p. 239. Ἤρξατο γὰρ σοφίζεσθαι (scil. ὁ ἄρχων) κατηχούμενος ὑπὸ τοῦ παρακαθημένου Χριστοῦ, διδασκόμενος τίς ἐστιν ὁ οὐκ ὤν, τίς ἡ υἱότης, τί τὸ ἅγιον πνεῦμα, τίς ἡ τῶν ὅλων κατασκευὴ, ποῦ ταῦτα ἀποκατασταθήσεται. cf. p. 243.

2) p. 240. cf. I Cor. II, 13.

instituisse doceat, ut sua quodque peccatum poena afficiatur, neque usquam sit dolor vitiumve physicum, cujus non causa sit peccati quidquam, ne parvulis quidem exceptis, quippe qui anterioris vitae culpam vel peccati veluti radicem secum ferant, eidem etiamsi invito profitendum erit, futurum non fuisse, ut Jesus pateretur, nisi et ipse malum, non dicam singulis actibus conspicuum, at certe germen ejus secum gessisset. Pro sua igitur, non pro hominum peccato dominus passus esse videtur. Ceterum ex Basilidis verbis non satis apparet, utrum sordem, qua Jesum inquinatum senserit, ex prioris vitae statu translatam, vel in sola, qua tunc vivens vestitus erat, carne positam esse arbitratus sit. Dubitabat enim, servatoris verecundia motus, de tali re disertis verbis fusisque exponere, sed invitus nec nisi adversariorum argumentis coactus attigit. Unde factum est, ut Hippolytum res plane fugeret, quae omnium fere gravissimum Basilidis vituperium esse debebat. Alia autem est res, quam Hippolytus ex omnibus unus Christi morte effectam esse narrat, quae summi est momenti et arctissime cum reliquis ejus de Christo et ordine mundi sententiis cohaeret. Eo enim maxime consilio domini diversis mundi elementis composita fuit natura, ut, quae in rerum semine permixta atque postea ex parte soluta essent, primum in Jesu, deinde per ipsum in universo mundo ad legitimum ordinem redigerentur. Itaque quae vis Altissimi obumbravit Mariam, ut Jesus nasceretur, potestatem ei attulit rerum secernendarum, in suis locis componendarum, ad immotam quietem perducendarum; taliaque quum ubique tum in genere hu-

mano factum iri, evangelio incrementa capiente, praevidit Archon magnus, quum primum vis divina desuper in suis finibus apparuit [1]). Mortuo igitur Christo, corporalis ejus pars, quae sola pati potuit, ad materiam forma carentem (ἀμορφίαν) redacta est. Reliquae vero partes, quae in eum coactae erant, post resurrectionem et aliquanti temporis inter discipulos commorationem, quae facta esse videtur, in altiora quibus quaeque dignae essent loca perrexerunt. Ex quibus psychica, quae Hebdomadis similis fuit, in ejus regione constituta est; quae vero nobiliores fuerant, ad sublimiores coelos usque ad magnum Archontem et spiritum sanctum, medium locum tenentem, elatae sunt. Quibus omnibus excretis purior et candidior exstitit ea, quae in illo erat, natura summo Deo cognata, e tertio genere filiorum Dei nata, viribusque aequalium naturarum adjuta in sedem divinam, cui destinata fuit, ascendit [2]). Inde ex

---

1) p. 241. ἡ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι, ἡ δύναμις τῆς κρίσεως ἀπὸ τῆς ἀκρωρείας ἄνωθεν τοῦ δημιούργου μέχρι τῆς κτίσεως. — cf. Clem. Al. Strom. II, 8. Αὐτὸν τὸν ἄρχοντα ἐπακούσαντα τὴν φάσιν τοῦ διακονουμένου πνεύματος, ἐκπλαγῆναι τῷ θεάματι παρ' ἐλπίδας εὐαγγελισμένον, καὶ τὴν ἔκπληξιν αὐτοῦ φόβον κληθῆναι, ἀρχὴν γενόμενον σοφίας φυλοκρινητικῆς τε καὶ διακριτικῆς καὶ τελεωτικῆς καὶ ἀποκαταστατικῆς, οὐ γὰρ μόνον τὸν κόσμον ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκλογὴν διακρίνας ὁ ἐπὶ πᾶσι προπέμπει. Neander ultima verba mutat in τῷ ἐπὶ πᾶσι προπέμπει, Deum inenarrabilem intelligens, cui Demiurgus naturas spirituales committat. Sagacius quidem hoc quam verius. Nam ex Hippolyti expositione rerum elucct, minime de tali Demiurgi opere agi, sed potius de magno Archonte exceptas facultates divinas ad inferas regiones deducente.

2) Hippol. p. 243. Ἔπαθεν οὖν τοῦτο ὅπερ ἦν αὐτοῦ σωματικὸν μέρος, ὃ ἦν τῆς ἀμορφίας καὶ ἀπεκατέστη εἰς τὴν ἀμορφίαν.

hoc tempore providentia divina, Archontibus prudenter adjuvantibus [1]), id agit, ut diversa totius mundi elementa secernantur sublataque commistione novus isque immutabilis ordo instituatur. Eveniet enim aliquando, ut omne genus filiorum, sive a deo electorum (ἐκλογή), in isto mundo derelictum, quum suas fecerit omnes vires per Jesum de Pleromate deductas, divinam pulchritudinem, quae propria est ejus forma, assecutum, ad Christi, ducis et archetypi, sublimem locum transductum fuerit [2]). Tum vero etiam psychica pars mundi, in

---

'Ανέστη (fortasse -στησε) δὲ τοῦτο, ὅπερ ἦν ψυχικὸν αὐτοῦ μέρος, ὅπερ ἦν τῆς ἑβδομάδος, καὶ ἀποκατέστη εἰς τὴν ἑβδομάδα. 'Ανέστησε δὲ τοῦτο, ὅπερ ἦν τῆς ἀκρωρείας οἰκεῖον τοῦ μεγάλου ἄρχοντος, καὶ ἔμεινε παρὰ τὸν ἄρχοντα τὸν μέγαν· ἀνήνεγκε δὲ μέχρις ἄνω τοῦτο, ὅπερ ἦν τοῦ μεθορίου πνεύματος, καὶ ἔμεινεν ἐν τῷ μεθορίῳ πνεύματι. 'Απεκαθάρθη δὲ ἡ υἱότης ἡ τρίτη δι' αὐτοῦ ἡ ἐγκαταλελειμμένη πρὸς τὸ εὐεργετεῖν καὶ εὐεργετεῖσθαι, καὶ ἀνῆλθε πρὸς τὴν μακαρίαν υἱότητα διὰ πάντων τούτων διελθοῦσα. Ὅλη γὰρ αὐτῶν ἡ ὑπόθεσις σύγχυσις οἱονεὶ πανσπερμίας καὶ φυλοκρίνησις καὶ ἀποκατάστασις τῶν συγκεχυμένων εἰς τὰ οἰκεῖα. Τῆς οὖν φυλοκρινήσεως ἀπαρχὴ γέγονεν ὁ 'Ιησοῦς, καὶ τὸ πάθος οὐκ ἄλλου τινὸς χάριν γέγονεν, ἢ ὑπὸ (Miller illud ἢ in codice omissum recte supplet; nos vix dubitamus, quin praeterea ὑπὸ delendum sit, quum minime aptum sit, genitivo vero sequenti χάριν sufficiat.) τοῦ φυλοκρινηθῆναι τὰ συγκεχυμένα.

1) vid. loc. supra laudat. Clem. Strom. II, 8.

2) p. 241. μέχρι δὲ ἐκείνου, φησί, συνεστηκέναι τὸν κόσμον οὕτως, μέχρις οὗ πᾶσα υἱότης καταλελειμμένη εἰς τὸ εὐεργετεῖν τὰς ψυχὰς ἐν ἀμορφίᾳ καὶ εὐεργετεῖσθαι, διαμορφουμένη κατακολουθήσῃ τῷ 'Ιησοῦ καὶ ἀναδράμῃ καὶ ἔλθῃ ἀποκαθαρισθεῖσα, καὶ γίνεται λεπτομερεστάτη, ὡς δύνασθαι δι' αὐτῆς ἀναδραμεῖν ὥσπερ ἡ πρώτη. Πᾶσαν γὰρ ἔχει τὴν δύναμιν συνεστηριγμένην φυσικῶς τῷ φωτὶ τῷ λάμψαντι ἄνωθεν κάτω.

creaturis et psychicis et pneumaticis dispersa, postquam propriam certamque formam e conjunctione cum spirituali natura acceperit, ad Hebdomadis et superiores regiones colligetur. Denique inde a materia, quae jam forma vitaque prorsus caret, usque ad Pleromatis beatissimos spiritus, purissima pulcherrimaque forma ornatos, omnibus naturis in suis locis gradibusque pro indole et dignitate constitutis, tanti unaquaeque divinae lucis particeps fiet, quanti capax erit. Neque earum est ulla, quae non in aeternum duratura sit et, si materiam exceperis, beatitudinis quidquam assecuta fuerit, dummodo locum sibi destinatum tueatur. Sin autem majora affectans ultra fines progredi studeat, superbiae motu turbata et quietem et beatitudinem et consistendi facultatem amittet. Jam vero quum nulla felicitas ea major sit, quae e cognitione Dei proficiscatur, timendum est, ne inferiora omnia ad filiorum Dei summam eique proximam sedem communi desiderio propellantur. Quod ne fiat, neve impetu nefario ordo tanto labore fixus denuo perturbetur, Deum postremo Basilides narrat omnia extra Pleroma sita universali ignorantia veluti obumbraturum esse, ut cum notitia evanescat etiam desiderium. Deus igitur, qui fons sit et summa vitae beatae, semper omnia et scit et regit; neque filii Dei aut patris aut inferiorum rerum cognitionem unquam amittent. Simili in conditione spiritus sanctus perseverabit. In mundo autem Archontes et reliqui omnes superiorum rerum ignari, inferiores, quibus regendis praefecti sunt, satis cognoscent; unde sui quisque regni unicum dominum se esse sentiens sua sorte contentus erit. Tum enim

exactum erit, quod ab initio rerum divinitus, sive, ut Basilides dicebat, coelesti electione (ὑπερκοσμίῳ ἐκλογῇ), decretum fuerat, ut pro sua unaquaeque natura facultate et gradum in ordine rerum et cognitionis sive fidei contemplativae modum consecutura esset, regnantibusque ubique rerum clarissimis Aeonibus, Justitia et Pace, ad altum summi patris thronum constitutis, res creatae amoto desiderio, dolore, suspirio, mutato moerore in gaudium, in consummatione felici, a Basilide ἀποκατάστασις dicta, et erunt et permanebunt [1]).

---

1) p. 242. Ἀλλὰ γὰρ πᾶσαι αἱ ψυχαὶ τούτου τοῦ διαστήματος, ὅσαι φύσιν ἔχουσιν ἐν τούτῳ ἀθανατοὶ διαμένειν μόνῳ, μένουσιν οὐδὲν ἐπιστάμεναι (Sequentia Miller, corrupta esse professus, hoc modo exhibet: Τούτου τοῦ διαστήματος διάφορα, οὐ βέλτιον, etc., nos emendamus ita fere:) τῆς τούτου τοῦ διαστήματος διαφορᾶς τοῦ βελτίονος, οὐδὲ ἀκοή τις ἔσται τῶν ὑπερκειμένων ἐν τοῖς ὑποκειμένοις (sic Miller recte pro ἀποκειμ.), οὐδὲ γνῶσις, ἵνα μὴ τῶν ἀδυνάτων αἱ ὑποκείμεναι ψυχαὶ ὀρεγόμεναι βασανίζωνται, — ἐγένετο ἄν, φησίν, αὐτοῖς ἡ τοιαύτη ἐπιθυμία φθορά. Ἔστιν οὖν, φησίν, ἄφθαρτα πάντα τὰ κατὰ χώραν μένοντα, φθαρτὰ δὲ, ἐὰν ἐκ τῶν κατὰ φύσιν ὑπερπηδᾷν καὶ ὑπερβαίνειν βούλοιντο. Οὕτως οὐδὲν ὁ ἄρχων τῆς ἑβδομάδος γνώσεται τῶν ὑπερκειμένων, καταλήψεται γὰρ καὶ τοῦτον ἡ μεγάλη ἄγνοιά, ἵνα ἀποστῇ ἀπ' αὐτοῦ λύπη καὶ ὀδύνη καὶ στεναγμός· ἐπιθυμήσει γὰρ οὐδενὸς τῶν ἀδυνάτων οὐδὲ λυπηθήσεται. Καταλήψεται δὲ ὁμοίως καὶ τὸν μέγαν ἄρχοντα τῆς ὀγδοάδος ἡ ἄγνοια αὕτη, καὶ πάσας τὰς ὑποκειμένας αὐτῷ κτίσεις παραπλησίως, ἵνα μηδὲν κατὰ μηδένα (κ. μηδ. aptum non est, melius fortasse delebitur) ὀρέγηται τῶν παρὰ (sic recte Miller pro κατὰ) φύσιν τινὸς, μηδὲ ὀδύνηται, καὶ οὕτω ἀποκατάστασις ἔσται πάντων κατὰ φύσιν τεθεμελιωμένων μὲν ἐν τῷ σπέρματι τῶν ὅλων ἐν ἀρχῇ, ἀποκατασταμένων δὲ καιροῖς ἰδίοις.

Berolini, typis J. F. Starckii.